

mitatem Ecclesie Parochialis, cui oppositiioni adhaerente Episcopo (qui noluit licentiam concedere) recursum habuit Baratta ad eandem Sac. Cong. Concilii, a qua audito Episcopo, et nihil, quod posset obstare, deducto, die 16 Januarii 1692, fuit resolutum: *Licentiam esse concedendam sine praedjudicio jurium Parochialium.*

(50. In Ravennat. Quidam Franciscus Secchius ob commoditatem populi, mandavit in suo Testamento, quod ex suis bonis erigi deberet certo loco nova Ecclesia Parochialis, et pro indemnitate Parochi, a quo pars Parochianorum separari debebat, legavit eidem Praedium annui redditus scut. 18. Huic dispositioni acriter se opposuit Parochus ob praedjudicia sua Ecclesiae. Causaque proinde delata ad eandem Sac. Cong. Conc. propositoque dubio: *An esset facienda erectio novae Parochialis in alio loco, quam destinato per Testatorem, et sub quibus conditionibus? prodiit, partibus informantibus, solutio: Affirmative, et quoad locum et conditiones arbitrio Archiepiscopi.*

(51. Antequam aedificetur Ecclesia debet Episcopus accedere ad locum, ubi ipsa Ecclesia aedificanda est, et ibidem publice atrium designare, Crucem figere, et primum lapidem ponere; cap. *Nemo Ecclesiam* 9, distinct. 1, de *Consecrat.* ibi: « Nemo Ecclesiam aedificet, antequam Episcopus Civitatis veniat et ibidem Crucem figat, publice atrium designet; » concordat *Novella* 131, c. 7, et *Novell.* 66, ibi: « Sancimus praeter omnibus illud fieri, et nulli licentiam esse neque Monasterium, neque ecclesiam, neque Orationis Domum incipere aedificare, antequam Civitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco faciat, Crucem figat, publicum processum ibi faciens, et causam manifestam omnibus statuens. » Et quamvis in allatis testibus expressa mentio non fiat de primo lapide ab Episcopo ponendo, Glossa tamen in cap. *Placuit* 1, caus. 1, q. 2, et alii Doctores communiter etiam de primo lapide dictos textus interpretantur. (52. Potest autem Episcopus etiam per alium Crucem figere, et primum lapidem ponere, ut docent communiter Doctores cum Barbosa lib. 2. *Juris Eccles. univers.* c. 2, n. 17. Engel. lib. 3, de cr. tit. 48, n. 3. Pirhing ibid. n. 3. Reiffenst. ibid. n. 6, et Glossa in cit. cap. *Nemo* 9, dist. 1, de *Consec.* verb. *Veniat*, et ratio est, quia ex Regula 68. *Juris* in 6: « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum, » eo vel maxime, quod praefati actus non pertinent ad potestatem Ordinis, sed Jurisdictionis, quam alteri etiam simplici Sacerdoti delegare potest Episcopus cap. *Aqua* 9. de *Consecratione Ecclesiae* ibi: « Quia licet Episcopus committere valeat quae Jurisdictionis existunt, quae Ordinis Episcopalis sunt non potest inferioris gradus Clericis demandare. » Et quoad totum consonat *Pontificale Romanum* p. 2, de *Bened. et imposit. primar. lapid. pro Eccles. aedificand. in urb.* per haec verba: « Nemo Ecclesiam aedificet, priusquam Pontificis judicio locus, et ambitus designetur, et quoad luminaria, quid

ad Rectoris et Ministrorum stipendia sufficiat, quidque ad Ecclesiae dotem pertineat, definiatur, et per eum, vel ejus auctoritate per Sacerdotem Crux in loco figatur, et primarius lapis in Ecclesia ponatur.

(53. Pro Ecclesia aedificanda, sive amplianda potest cogi vicinus ad vendendam Domum, vel alium situm, l. *Si quis Sepulchrum* 12, ff. *De religio. et sumpt. fun.* l. *Si locus* 12, § fin. ff. *Quemadmod. servit. amit.* l. 3, tit. 5, part. 5, et sic communis Doctorum. (54. Domum vicinam cogitur quis vendere, etiamsi contigua non fuerit Ecclesiae, sed via publica adfuerit media; Rota d. 213, n. 5, in recent. Farinac. p. 3. Giurba cum pluribus aliis d. 87, n. 3 et 7. Frances de *Eccles. Cathedrali* 6, c. 10, n. 125, et alii passim. (55. Domus vicina compellitur vendi pro aedificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia, etiamsi fuerit perpetui fideicommissi, aut majoratus; quia prohibitio non alienandi fideicommissum aut majoratum debet intelligi, nisi, ex juxta causa, contrarium Principi placuerit, ut late docet Molina lib. 1, cap. 8, a num. 28. Larea Allegat. 115, per tot. unde cum causa publica Religionis sit justissima causa, ut res ab invito auferatur, stat evidenter quod, licet Domus sit fideicommissi perpetui, vel majoratus, possit, et debeat vendi ob aedificium vel ampliationem Ecclesiae; Barbosa in l. *Invitum* 11. *Cod. de contrahend. Empt.* n. 10. Franciscus Marcus 1, p. d. 534, n. 6. Hieronymus Leo d. 90, n. 13. Novarius de *Privil. miser. pers. privil.* 6, n. 5. Thoro in *Summa privileg. caus. piar. privil.* 237. Amostaz. tom. 1, lib. 5, c. 2, de *Eccles. aedificandis*, n. 8. Fontanella de *Pact. nupt.* tom. 1, clausula 4, glos. 12, a n. 25. Frances loc. cit. num. 459. (56. Immo conclusio procedit etiamsi Domus fuerit alterius Ecclesiae, aut alterius causae pie; Barbosa in d. l. *Invitum* 11, num. 21. Giurba d. 86, n. 16. Franciscus Marcus 1, p. d. 533, n. 6 et 7. Covarr. in 4, decretal. 2, p. c. 14, n. 48. Frances l. c. n. 127 et 160, arg. c. *Apostolicae Sedis* 9, de *Donat.*

(57. Ad hoc ut quis teneatur domum, vel alium situm vendere pro aedificanda, amplianda, vel reparanda Ecclesia, quatuor conditiones requiruntur. (58. Prima est, quod solvatur justum pretium; l. *Venditor*, § *Si constat*, ff. *Comm. praedio*, l. fin. ad l. *Juliam de Annon.* l. 2. C. *Quibus ex causis servi pro proam.* l. 1. *Si quis sepulchrum*, ff. *De Relig. et sumpt. funer.* et est communis Doctorum. (59. Secunda est, quod adsit necessitas, quod nempe talis domus sit necessaria pro construenda Ecclesia, vel requiratur ad necessariam dilatationem Ecclesiae, vel Monasterii, ut optime ponderavit Rota in Januens. Domorum 15 Maii 1615, coram Manzanedo, quae est decis. 676. part. 1. recent. Farinac. (60. Tertia est, quod Domus sit contigua, et aliis vicinior, quia non licet aedificare volentibus libere eligere quas domus voluerint, sed debent accipere eas, quae Ecclesiae aedificandae, vel ampliandae sunt viciniores, ut aequissime statuit Rota apud

Farinac. dist. decis. 676. ex n. 4. usque ad 7. p. 1. recent. et apud eundem part. 3. recent. dec. 213. n. 5. (61. Quarta est, quod talis venditio non fiat cum magno incommodo vendentis, et parvo commodo Ecclesiae aedificantis; Rota part. 1. recent. Farinac. dec. 676. in Januens. domorum 15 Maii 1615. coram Manzanedo per text. in l. 1. § *Sunt qui putant*, ff. *Ne quid in loco publico*, et l. *Si quis sepulchrum*, vers. *Si praeses*, ff. *De Relig. et sumpt. funer.* (62. Si enim ista concurrant, qui habet domum vicinam potest cogi ad venditionem; sin minus, nequaquam; sic Rota in Romana Palatii de Comitibus dec. 372. part. 1. recent. et d. dec. 676. n. 6. Giurba dec. 86, num. 10. Gratianus disceptat 896. n. 7. Morla in *Emp.* par. 1. tit. 9, q. 91. n. 7. Fontanella de *Pact. nupt.* gloss. 1. part. 3. n. 120. Frances. l. c. a n. 151. ad 156. cum multis aliis.

(63. Pro reparanda corrumpente Ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus; Abbas in cap. *Quicumque* 1. de *Eccles. aedificandis* n. 3. Barbosa in d. cap. *Quicumque* 1. et in cap. *De his* 4. tit. eod. Engel. lib. 3. decretal. tit. 48. n. 8. Reiff. ib. n. 22. arg. c. *Ad Apostolicam* 42. de *Simoniam*, et c. *Decrevimus* 10. caus. 10. q. 1. (64. Nulla speciali consuetudine in loco existente, Ecclesia debet reparari de suis redditibus: cap. *Placuit* 1. cap. *Priscis* 2. cap. *Unio* 3. caus. 10. quaest. 3. Concil. Trid. sess. 21. cap. 7. de *Reformat.* et communis Doctorum. (65. Si Ecclesia nullos habeat redditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit Parochialis, proprius Parochus, textu expresso in cap. *De his* 4. de *Eccles. aedificandis*, ibi: « De his qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem, et restitutionem Ecclesiarum cogi debent. » (66. Et si Ecclesia non sit Parochialis, ad eam reparandam tenentur omnes in illa beneficium habentes, textu expresso in cap. *Quicumque* 1. de *Eccl. aedificand.* ibi: « Quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent omnino adjuvent ad Ecclesiae tecta restauranda, ipsasque Ecclesias emendandas. » (67. Si Ecclesia nullos redditus habeat, et beneficiati non nisi necessaria, vel aliqua quidem superflua, sed ad reparationem insufficientia percipiunt; tunc ad Ecclesiam reparandam tenentur Patroni, et Parochiani, qui in illa Ecclesia Sacramenta, vel alia Divina percipiunt, et in quorum gratiam est reparanda, textu expresso in Conc. Trident. sess. 21. cap. 7. de *Reformat.* ibi: « Parochiales vero Ecclesias etiamsi Jurispatronatus sint, ita collapsas refici, et instaurari procurent ex fructibus, et preventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota: quod si nimia egestate omnes laborent, ad Matri-

ces, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi. »

(68. Ad reparationem Ecclesiae Cathedralis tenetur solus Episcopus (si tamen habeat redditus superfluos, et non adsit legitima consuetudo in contrarium); Barbosa in cap. *Quicumque* 1. de *Eccles. aedificand.* n. 5. Bellet. disquisit. Clerical. part. 1, de *Clerico debitore*, § 13. num. 12. Pirhing. lib. 3. decretal. tit. 48, n. 19. Reiffenstuel. ibid. n. 28. et communis aliorum, arg. cap. *Decrevimus* 10. caus. 10. q. 1. et cap. *Quatuor* 27. caus. 12. q. 2. (69. Si autem Episcopus redditus superfluos non habeat, tunc ad reparationem tenentur, et compelli possunt Canonici superfluos redditus habentes, sive de suis Praebendis, sive de distributionibus quotidianis aliisque rebus Capituli: arg. c. *Ex parte sua* 4. de *his quae sunt a major. part. Capit.* et ibi Abbas n. 7. et tenent omnes Doctores mox cit. (70. Si vero nec episcopus, nec Canonici haberent redditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc Episcopus una cum Capitulo posset compellere alios inferiores Clericos ad contribuendum de suis superfluis redditibus; vel etiam posset deputare fructus Beneficiorum vacantium pro reparatione ipsius Ecclesiae; Abbas in c. *Quicumque* 1. de *Eccl. aedificand.* n. 6. Barbosa ibid. n. 5. Pirhing. loc. cit. n. 19. Reiffenstuel. l. c. n. 28. Ecclesia Parochialis si forte corruperit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire Fabrica si adsit, sin minus, tenetur Parochus, non quidem redditibus suis patrimonialibus, sed ex redditibus Beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quamquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem Parochi. Tertio loco, qui habent Beneficium Ecclesiasticum in illa Ecclesia. Quarto loco, si Paroecia est de jure patronatus, tenetur Patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra praefixum ab Episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat jus patronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea Paroecia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et Dominus illarum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. Ita ex Canonistis Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 100. per tot.

(71. Quae dicta sunt de reparatione Ecclesiae, intelligenda etiam sunt de reaedificatione, seu reparatione domus Episcopi, Parochi, aut Beneficati, ita ut qui tenetur ad reparationem Ecclesiae, teneatur etiam ad reparationem Aedium Rectoris Ecclesiae, prout decrevit Sac. Congregat. Concil. teste Barbosa in cap. *De his* 4. de *Eccles. aedificand.* n. 5. Reiffenstuel. loco cit. n. 26. Pirhing. loco c. n. 16. (72. Immo supradicti (deficientibus Ecclesiae redditibus, et contraria non extante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda, et reparanda paramenta, et ornamenta Ecclesiastica, scilicet Casulas, Pluvialia, Albas, Calices, et hujusmodi; arg. cap.



Quicumque 1. de Eccles. edific. sic cum pluribus aliis tenet Barbosa in cit. cap. quicumque n. 2. et in lib. 2. Juris Eccl. univers. c. 4. num. 2. Belletus Disquis Clerical. part. 1. tit. de Clerico debitore § 14, n. 4. Pirhing. loco c. n. 16. Reiffenstuel loco c. n. 26. et alii. (73. Ad hæc facit, et scire juvat sequens recens decretum Sacræ Congregationis Concilii: « Utensilia Sacra non tenetur Rector Ecclesiæ subministrare illis Sacerdotibus qui in eadem celebrant ex obligatione Beneficii, seu Capellanæ. Quatenus vero permittat, seu recipiat Missas adventitias in sua Ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministratiorem. Non potest demum cogi ad admittendas Missas adventitias nisi solutis Sacris Utensilibus; » Sac. Congr. Conc. in Derthonen. 6 Julii 1726. ad 11. dub.

(74. Hinc pro complemento hujus articuli juvat adducere, quod Ecclesiæ olim quando edificabantur, caput illarum, seu Altare Majus respiciebat partem Orientalem, ut notavit Rota part. 5, tom. 1. recentior dec. 353. n. 102. Isidorus lib. 15. Etymolog. S. Clemens Roman. lib. 1. Constitut Apostolicar. Paulinus ad Severum, et alii apud Baronium anno Christi 57. n. 103. Et hunc modum erigendi Ecclesias, et orandi versus Orientem ex traditione primorum Christianorum probavit Gratianus ex S. Basilio in cap. Ecclesiasticarum 5. dist. 11. derivatum a lege Mosaica, ut voluit Glos. ibid. verb. Quæ Orientem, dicens Daniele in Babylonica captivitate oppressum versus Orientem orasse, pariformiterque Salomonem magnam sui templi molem struxisse. (75. Nec sine suis congruentiis erigebantur Ecclesiæ versus Orientem, ut observat Archidiaconus in d. c. Ecclesiasticarum. ubi octo enumerat, et Tostatius in cap. 6. Matth. qu. 91. ubi varias adducit; quarum præcipuæ hic subnectuntur.

(76. Primo igitur eriguntur et constituuntur capita Ecclesiarum versus Orientem, taliter quod existentes in ipsis versus Orientem orare necesse sit; quia cum oratio nostra dirigatur ad Deum omnipotentem in recognitionem suæ supremæ et divinæ majestatis, versus illam partem orare debemus, in qua ipse magis esse videtur, et quamvis ipse ubique sit æqualiter, quia tamen operatio suâ manifestatur magis in quibusdam partibus, quam in aliis, versus illas magis orandum est, quia ibi magis esse videtur. Unde cum Dei Majestas magis nobis innotescat ex gubernatione mundi ad quam præcipue confert motus Cælorum, qui ab Oriente incipit, videtur Motor esse in Oriente adeoque versus Orientem orandum esse. (77. Secundo, oramus in Ecclesiis versus Orientem propter Paradisum terrestrem, qui a parte Orientis est constitutus; Genesi enim cap. 2. ubi nostra littera dicit, Plantaverat Dominus a principio Paradisum dicit littera Hebraica ab Oriente Paradisum; et idem est, quia Oriens est principium terræ; unde quia per Paradisum terrestrem ostenditur celestis, oramus versus Orientem, ubi est Paradisus terrestris, ut per hoc demonstramus in oratione nos petere solummodo ipsum

Deum, seu vitam æternam, quæ Paradisus dicitur.

(78. Tertio, quia ascensus Christi in Cælum dicitur fuisse versus Orientem; Psalm. 67. ibi: Qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem; et etiam adventus suus ad Judicium expectatur futurus, a parte Orientis; Matth. 24. ibi: Sicut fulgur erit ab Oriente, et apparet usque ad Occidentem, ita erit adventus filii hominis. (79. Quarto, quia creditur Christum Dominum pendentem in Cruce faciem versus Orientem habuisse, ac proinde Fideles versus Orientem orant, ut faciem ipsius in Cruce pendentis adorent, teste Basilio lib. de Spiritu Sancto c. 13, et 27. quem sequitur Vasquez tom. 3. q. 83. art. 2. disposit. 223. cap. 2. n. 19. et alii.

(80. Apostolorum igitur, et primorum Christianorum traditio, et consuetudo, ista et similia attendit, ut Ecclesias erigere et orare versus Orientem introduceret. Verum licet hic modus erigendi Ecclesias sit congruentior, non est tamen omnimode necessarius, cum respicere Orientem dependeat ex commoditate fabricæ, propter quam multæ reperiuntur ædificatæ Ecclesiæ, quæ non respiciunt Orientem, unde hoc magis ad decentiam quam necessitatem spectare notavit Selva de Benefic. qu. 5. primæ part. in principio l. 15. tractatum n. 35. Fusc. de Visit. lib. 1. c. 10, n. 7. et alii. (81. Forma Ecclesiarum, qua a principio ex Apostolorum traditione utebantur Christiani, semper eadem fuit; longa nimirum, et in navis speciem, ad denotandum, quod quia in hoc mundo tanquam in mari fluctuamus, ad Ecclesiam tanquam ad Navim debemus recurrere, ut in ea pericula tempestatum et omnes procellas superare possimus, et in ea tanquam in Navi tuta servemur; Azorius Institut. moral. tom. 2. lib. 9. c. 3, q. 12. Et hæc forma et species Navis probatur ex S. Clemente lib. 1. Const. Apostol. cap. 61. alias 57. S. Anacle. Papa Epist. 1. decret. colum. 1, tom. 1. Conc. pag. 156.

(82. Ecclesia in tres partes, seu mansiones distribuitur. Prima pars seu mansio est ea quæ prope Altare Majus constituitur, et solet cancellis includi, et appellatur Sacrarium, sive Presbyterium, sive Sancta Sanctorum. Secunda pars est chorus; Tertia et reliqua pars est illa, quæ Navis appellatur. (83. Prima pars quæ appellatur Sacrarium, sive Presbyterium, sive Sancta Sanctorum, est ea mansio, quæ ab Altari majori versus Ecclesiam vergit. (84. Et appellatur Presbyterium, seu Diaconium, quia ibi sunt Presbyteri, quibus Diaconus, et Subdiaconus Sacra peragentibus ministrant; cap. 1, de Vita et honestate Clericor. verb. Sed illa pars; Lot. de Re benefic. lib. 1, quæst. 13, a n. 18. (85. Et appellatur nobilior pars Ecclesiæ, quia denotat vitam contemplativam: Coccin. dec. 142, n. 1. (86. Licet alias omne Deo consecratum lato modo Sanctum Sanctorum appelletur; c. Nulli 3, caus. 12, q. 1. Zabar. cons. 14, in princ. Frances. Cathedr. cap. 5, n. 38. (87. Locus hic Sacrarium dicitur, quia in talem locum, seu partem

non licere ingredi nisi Ministros sacros fuit decretum in Concil. Agathens. can. 66. ibi: « Non oportet non sacros Ministros in Sacrarium, quod Græci Diaconium appellant, ingredi, » et in Concil. Laodicensi, cap. 19, ibi: « Solis autem Ministerio Sacro deditis liceat ad Altare ingredi, et in eo communicare. » Unde non sacros homines ibidem sacra vasa contingere non posse fuit statutum tot. tit. de Consecr. dist. 1, juncta Glos. in c. 1, verb. Sed pars illa, de Vit. et honestat. Cleric.

(88. Secunda Ecclesiæ pars dicitur Chorus sic etymologice dictus a Choreia, vel Corona, quia olim Clerici in modum coronæ circa aras stabant, et eo modo psalmos canebant; Durand. in Rational. lib. 1, cap. 1, n. 18. Selva part. 1, q. 5, num. 44. Gavant. in Thesaur. sacror. rit. p. 1, tit. 15, verb. in Choro, Brunus de Caremoniis, lib. 5, cap. 2, et alii. (89. Unde Chorus significat locum, qui Clericos psallentes continet; cap. Dilectus, extra de præb. et dignit. in antiq. Calvin. in suo Lexico verb. Chorus, et ut ait Polyd. Virg. de Invent. rer. leg. 6, cap. 2. Chorus multorum vocibus constat, ita ut ex pluribus una reddatur, fiatque concentus ex dissonis; leg. Cum ejusdem 34, ff. de edil. edict. l. Si Chorus 79, ff. de Legat. 2. (90. Hinc tempore Constantis Imperatoris, Flavianus et Theodorus adversus Arianos decertantes, et in duas partes Canentium Chorus dividentes, ex successione Davidicam melodiam canere docuerunt, idque primum in Antiochia factum, postea in alias orbis terrarum partes propagatum, et a S. Damaso confirmatum, ut legitur in lectione 6, ejus officii die 11. Decembris, et a Theodoro, et Durand. refert Daniel de Nobilibus in disp. select. disp. 60, n. 161. (91. Immo Selva, et Durand. loc. c. dicunt, quod Beatus Ignatius, qui post Beatum Petrum tertius Antiochenæ Ecclesiæ Antistes extitit, fuit primus qui præcepit et induxit morem alternatim Psalmos canendi in Antiochena Ecclesia, notantes id factum fuisse ad imitationem Angelorum, et spirituum cælestium laudantium Deum quasi reciproca voluntate; et talis mos exinde propagatus fuit in Orientales Ecclesias. Spino in Spect. testam. Gloss. 3, in princip. n. 66, et in Occidentali Ecclesia primus cum auctoritate S. Damasi Mediolani instituit S. Ambros. Barb. cum pluribus in coll. ad text. in cap. Dolentes, de Celebrat. miss. n. 14.

(92. Tertia Ecclesiæ pars est Navis deserviens pro receptaculo Laicorum Divina officia audientium, et orantium; sacras item conciones audiendo; cap. 1, de Vita et honest. Clericor. cap. Sacerdotum 29, dist. 2, de Consecrat. teste Coccino dec. 142. Lotter. d. c. 13, n. 39. Daniel. de Nobilibus d. disp. 60, n. 33. (93. In hac parte Ecclesiæ olim Mares a Fœminis separati constituebantur; Ma-

(1) De diversis apud Christianos Ecclesiarum formis, et partibus consule Selvaggius Antiq. Christ. To. 2. lib. 2. c. 2. et Fleury disciplinam populi Dei a Zaccaria notis, et variorum dissertationibus illustratam To. 2. edit. 1782. pag. 217. seqq. ubi Joan.

res in dextra Navis parte sedem habebant. Mulieres in sinistra; sive viri in parte Australi, mulieres in Boreali, ut habet Ordo Romanus de Officio Missæ, Micrologus de Eccles. observ. cap. 9, ubi sic dicit. « Diaconus cum legit Evangelium juxta Romanum Ordinem, in Ambone vertitur ad meridiem, ubi et masculi conveniunt, non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt; » Amalarus lib. de Divin. Offic. cap. 2. Albinus Flaccus lib. de Offic. cap. de Sabbato Sancto; Durand. lib. 1. Rational. cap. 1, n. 46. Pignat. tom. 7, consult. 35, n. 22, qui rationem assignatæ Mulieribus stationis ad Boream, viris ad Austrum dicunt esse, ut teneatur correspondentia cum Angelo, quem Joannes vidit pedem dextrum ad Mare in Austro situm protendere, sinistrum autem in terra ad Aquilonem. (94. Et quod fœminæ a viris separatæ in Ecclesia starent, fuit expresse statutum ab Apostolis ipsis lib. 2, cap. 61, ut refert, et tenet Barbosa lib. 1, Juris Eccl. univ. cap. 3, n. 33, et S. Clemens Roman. lib. 2. Const. cap. 37. Et utinam hæc sanctiones, et antiquæ praxes, ut in Ecclesiis separatæ remanerent mulieres ab hominibus, servarentur adhuc nostris hisce temporibus, ne mutua eorum proximitas, et promiscua statio cor a piis meditationibus sacrisque Mysteriis averteret, et ne, ut non semel in dies accidit, studium salutis fieret perditionis occasio! (1)

(95. Duo præsertim in hoc articulo illustranda sunt. Alterum concernit obligationem, qua tenetur vicinus vendendi domum, vel alium situm, pro ædificatione vel ampliatione Ecclesiæ. Alterum respicit reparationem Ecclesiæ.

(96. Ad primum quod attinet, fundamentum dictæ obligationis vicini communiter reponitur in leg. Si quis sepulcrum, ff. de Religiosis et sumpt. Funer.

(97. Sed ut jamdudum animadvertentur (licet frustra) viri docti, nihil tale in citata lege occurrit. Regula enim juris est, neminem invitum cogi posse ad vendendam rem suam; L. Dudum, C. de contrahend. Empt. (98. Continere itaque debet Lex: Si quis sepulcrum exceptionem mox dictæ Regulæ, ubi agatur de ædificanda vel amplianda Ecclesia. In ea autem hoc habetur: « Si quis sepulcrum habeat, viam autem ad sepulcrum non habeat, et a vicino ire prohibeatur, Imperator Antoninus cum Patre rescripsit iter ad sepulcrum precario peti et concedi solere, at quoties non debetur, impetretur ab eo, qui fundum adjunctum habet. »

(99. At textum hunc agere, apposite inquit Merend. Controvers. jur. lib. 1, cap. 30, num. 1, et sequent. « de concessione itineris ad sepulcrum, quod suapte natura Domino fundi modicum, immo nullum damnum affert. Raro enim homines sepulcra adeunt, ideo in hujusmodi casu locum sibi vindicant

Cabassutii de veterum Ecclesiarum situ, partibus, et structura, ac Mabilonii de Ecclesiarum, seu Basilicarum forma et dispositione apud Francos Dissertationes exhibentur. (EDIT. BARB.)



Regula Legis secundae, § *Item Varus*, ff. de *Aqua plu. arce*. Id quod tibi non nocet et mihi prodest, æquitas vult ut mihi concedatur, etiamsi jure deficiat. Ergo decisio hujus textus non potest trahi ad quæstionem nostram, in qua de re vicino gravissima agitur, ut scilicet rem suam vendere cogatur. Traditum est enim extensionem de casu ad casum etiam in materia favorabili non admitti, nisi eadem prorsus ratio vigeat in utroque casu, etc. At dices, Jurisconsultum tractare de eo casu, quo iter damnus non leve afferebat Domino, quia inquit: Ita tamen, ut Judex de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatu detrimen- tum. Respondeo, speciem singularem non tractari ab Ulp. auctore hujus textus, sed rem in abstractu exponi, et per modum Regulæ, ut liquet ex verbis antecedentibus, et ideo dum prædictis verbis admonet Judicem datum ad constituendum iter, ut opportune et sine damno Domini iter constituat, id facit, ut intelligat, quomodo versari debeat in hac re, ut scilicet minus, quam fieri possit, Dominus fundi lædatur. Itaque verisimium est, quod dixi, decisionem illius textus pendere ex eo, quod leve, immo nullum damnus concessio itineris ad sepulcrum plerumque continet; plerumque, inquam, quia licet interdum secus sit, non refert, quia in legibus id quod plerumque accidit sequimur, non quod raro evenit, l. *Num ad ea*, ff. de *Leg. cum. ll. seqq.* Sed esto, textum loqui in casu, in quo damnus concessio itineris Domino fundi affert, quid tum? Ergone ad quæstionem nostram trahi poterit? Nequaquam; nam damnus quod propter concessionem itineris affertur, est longe minus quam sit id quod affertur cum quis cogitur rem suam vendere; non enim extensio permittitur, nisi eadem prorsus ratio vigeat, ac ita fortis, ut in lege, quæ extenditur, ut constat ex scriptis, » cap. 12, num. 11, ubi 3, et in proposita quæstione agnoscit Rota dict. decis. 676, num. 7 et 8. « His accedit sepulcri, de quo J. C. agit, nullum futurum fuisse usum, si denegatum fuisset iter ad illud, quæ circumstantia magni certe momenti fuit ad commovendum Imp. Severum, et Antoninum, ut rescriberent ad favorem Domini sepulcri, tunc enim magis urget dictamen illud naturale, quod tibi non nocet, et aliis prodest, etc. Hæc autem circumstantia in quæstione nostra deficit. Ergo hæc species sunt valde dissimiles. » Confer etiam Covarruv. *Variar. resolut.* lib. 3, cap. 14, n. 7 et seqq.

(100. Cæterum vanum est confutare opinionem hanc de obligatione, qua vicinus tenetur, vendendi domum, vel alium situm pro ædificatione vel ampliatione Ecclesiæ, nam ea communiter a Doctoribus et Tribunalibus recepta est. (101. Juvat tamen hæc adnotasse, ut non docte et quidem concludenter de omnibus ab ipsis Doctoribus et Tribunalibus, in hoc judicio requisitis, de quibus agit Auctor, respondeatur contra Ecclesiam, prout servavit Rota in Melevitana Fabricæ 1741. coram clar. mem. Calcagnin.

(102. Tum etiam ut hæc opinio non extendatur ad omne id, quod est connexum Ecclesiæ, prout hactenus est extensa; ut videre est apud Mastrill. decis. 280. Gizarell. decis. 37, ibique omnes addunt, et Rot. in *Compostellana Permutationis* 2 Junii 1738, § 16, cor. bon. mem. Vicecom.

(103. Quod vero concernit reparationem, ad eam illi primo loco tenentur, in quos onus hoc transtulit consuetudo. Idem die de statuto. (104. Quomodo autem probanda in subjecta materia sit consuetudo tradit Klock. de *Contribut.* cap. 10, num. 23, et plur. sequent. (105. Confer etiam Lanfredin. *Respons. Eccles.* 32, num. 13, tum Louvrex *Dissert. Canon.* 16, num. 5, et plur. sequent.

(106. Deficiente autem tam consuetudine, quam statuto, facienda est reparatio ex portione, si qua extat, pro Fabrica destinata: eaque non extante, ex fructibus Ecclesiæ de qua agitur. (107. Qua ratione Episcopus Ecclesiam Cathedralium, Capitulum Ecclesiam Collegiatam, Parochiam Ecclesiam Parochialem, et Rector quamcumque aliam Ecclesiam reparare tenentur, nam ipsi sunt qui fructus percipiunt. (108. Intellige tamen deducta prius ex fructibus congrua pro eorum sustentatione. (109. Ad Louvrex, dict. *dissert. canon.* 16, numer. 9 et sequ.

(110. Quod si deducta mox dicta congrua sustentatione, non supersit pro reparatione, tenentur alii, si qui sunt, qui fructus percipiunt. (111. Solent enim Decimæ Ecclesiarum Parochialium ut plurimum ad alios quam ad Parochos pertinere. (112. De obligatione autem decimatorum ad reparationem, vide quæ diximus in additione ad verb. *Congrua artic. 2.* Pensionarii quoque in hoc casu tenentur ad reparationem; Rot. in *Fanen. Suppressionis* 4 Junii 1741, cor. R. P. D. Canilliac.

(113. Post hos tenentur qui beneficia in ea Ecclesia possident, deducta pariter prius pro ipsis congrua sustentatione ex fructibus suorum Beneficiorum; Louvrex, dict. *dissert. canon.* 16, num. 13. Rot. in Viterbien. Contributionis Onerum, et Expensarum 15 Junii 1745, § 10, cor. R. P. D. Elephantut. (114. deinde Patroni, ac demum Parochiani, si agatur de Ecclesia Parochiali.

(115. Habes et quidem ex ordine illos qui ad reparationem tenentur. At plura adhuc adnotanda sunt.

(116. De Episcopo singulare illud occurrit, quod si onus reparandi ad alios pertinet, tenetur nihilominus ipse reparare Cathedralium minitantem ruinam, reservato sibi jure agendi contra illos; Rota coram clar. mem. Tanar. decis. 233, num. 11.

(117. Quoad Parochum, nota, quod is tenetur tantummodo reparare Ecclesiam Parochialem, non item Ecclesiam succursalem, si qua est in Parochia, nam ad eam reparandam nec Parochus nec quicumque alius percipit fructus Parochiæ, (118. sed Parochiani illi, quorum gratia extracta est, tenentur; Vanespen. *Jur. Eccles. univ.* part. 2, tit. 16, cap. 5, num. 17, et sequent. Wames. *Const. canonic.* 511, num. 8. Peck de

*R par. Eccles.* cap. 24, fere per tot. (119. D. eo vero, uter teneatur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis, Parochus habitualis ne, an Vicarius perpetuus, consule Lanfredin. *Respons. Eccles.* 32, a num. 1, ad plur. sequent.

(120. Quod dictum est supra, Beneficiatos teneri ex fructibus ad reparationem, deducta prius pro ipsis congrua sustentatione, id procedit si agatur de Beneficiatis illis, qui residere tenentur; Rota in *Romana, seu Regien. Reparationum* 26 Aprilis 1743, § *Alterum* et sequent. coram bon. mem. Nunez et 4 Maii 1746, § 10, cor. Illustriss. Caprar. Alm. Urb. Gubernator. (121. De Forensibus, qui prædia possident in Parochia, cujus Ecclesia reparatione indiget, an ii in contributionem vocari queant, vide Klock. de *Contribut.* cap. 10, n. 57, et plur. sequent.

(122. Si Ecclesiam ruinam passa sit tempore Beneficiati Antecessoris, uter conveniendus sit pro reparatione, Successor, an hæres Beneficiati Antecessoris, magna quæstio est; Consule de ea Louvrex, *dissert.* 16, num. 10, et plur. seq.

(123. De Hypotheca competenti Ecclesiæ pro reparatione super bonis Beneficiati, adi Rous. *De la Combe in sua Jurisp. Canon.* v. *Reparatio, sect. 6, per tot.*

(124. Additionem hanc claudat quæstio illa: An is, ad quem pertinet onus reparationis, ampliandæ quoque et de novo ædificandæ Ecclesiæ sumptum agnoscere debeat, nec ne? negat Peck. *de Repar. Eccles.* c. 2, num. 1 et 2, et Klock. de *Contribut.* cap. 10, n. 9, et plur. seqq. de illo qui ex testamento, vel ex contractu tenetur reparare: affirmant vero de eo qui ex *juris dispositione* ad reparationem Ecclesiæ obligatus est. At absolute et quidem rectius negat Wames. *Consil. canon.* 513, n. 5.

## ARTICULUS IV.

*Ecclesia quoad ejus consecrationem, execrationem, et reconciliationem.*

(1. Consecratio Ecclesiæ est Dedicatio ejusdem ad cultum Divinum speciali ritu facta a legitimo Ministro, ad hoc ut populus fidelis opera Religionis in ea rite exercere possit; Est in re communis. (2. Solus Episcopus loci de jure communi potest Ecclesiam consecrare; cap. *Interdiximus* 19, caus. 16, quæst. 1, ibi: « Chrisma, et Oleum, consecrationesque Altarium Ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochiis manent; » concordat cap. *Nemo* 9, et cap. *Nullus* 15, dist. 2, de *consecrat.* ibi: « Nisi in consecratis ab Episcopo locis. » (3. Episcopus debet esse proprius illius Diocesis, in cujus finibus sita est Ecclesia consecranda; cit. cap. *Interdiximus* 10, caus. 16, quæst. 1, et c. *Tua fra-*

(1) Et Concilium Calcedonense can. 4. Idque adeo verum est, ut ne ipse quidem Vicarius Generalis Episcopi absque Episcopi sui aut jussu aut permisso consecrare Ecclesias possit, etsi Episcopus sit, neque enim in istiusmodi rebus, sed in jurisdictionis dumtaxat exercitio diocessani sui Episcopi vices ge-

ternitas 2, de *Consecr. Eccles.* ibi: « In Diocesi tua. » (4. Non enim in Diocesi aliena potest Episcopus consecrare Ecclesiam absque proprii Episcopi permissione; cap. *Episcopus* 28, caus. 7, quæst. 1, cap. *Pia mentis* 25, et c. *Frigentius* 26, caus. 16, quæst. 7, (1). (5. Et si Episcopus in aliena Diocesi sine Diocessani Episcopi permissione Ecclesiam consecraverit, punitur suspensione ab exercitio Pontificalium per integrum annum; Conc. Trid. sess. 6, c. 5, de *Reform.* et sess. 14, c. 2, et debet per eundem annum cessare a celebratione Missarum; textu expresso in c. *Episcopus* 38, caus. 7, q. 1, ibi: « Episcopus in Diocesim alienam ad consecranda altaria irruere non debet. Quod si fecerit transgressor Canonum uno anno a missarum celebratione cessabit. » (6. Consecratio tamen Ecclesiæ facta ab Episcopo in aliena Diocesi remanet valida; textu expresso in d. c. *Episcopus*, ibi: « Altaris tamen consecratione manente. » (7. Episcopus non potest delegare potestatem consecrandi Ecclesias simplici Sacerdoti, si-ve non Episcopo; textu expresso in c. *Aqua* 9, de *Consecrat. Eccles.* ibi: « Aqua per Episcopum benedicta, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes: non obstante consuetudine Provincie Bracharenis (quæ dicenda est potius corruptela), quia licet Episcopus committere valeat quæ Jurisdictionis existunt, quæ Ordinis Episcopalis sunt non potest inferioris gradus Clericis demandare (2). » Et sic quoad supradicta omnia Barbosa de *Offic. et Potest. Episcop.* part. 2, allegat. 27, num. 1. Pirhing. lib. 3. Decret. tit. 40, num. 1. Reiffenstuel ibid. num. 2 et 3, et communis aliorum. (8. Ecclesiam consecrare quamvis nemo possit præter Episcopum, possunt tamen Prælati Regulares proprias Ecclesias solemniter benedicere, et ad cultum divinum deputare, ita ut possint in ipsis divina peragi Officia, et Missæ celebrari, ac si ab Episcopo fuissent consecratæ, ut patet ex privilegio Leonis X, qui, ut refert Casarubius in *Compendio privilegiorum, verb. Benedicere*, concessit: « Generalibus, Provincialibus, ac Custodibus, et Guardianis Fratrum Minorum pro tempore existentibus, ut omnia, et singula ejusdem Ordinis, et Observantiæ Ecclesias, Cœmeteria, Capitula, et Oratoria ubicumque existentia tam recepta, quam recipienda, etc., solemniter benedictione benedicere valeant. » Quo privilegio gaudent etiam omnes alii Regulares vi communicationis privilegiorum, etiamsi expressam concessionem non haberent; Miranda in *Manuali Prælator.* tom. 2, quæs. 40, art. 1, conclus. 1. Barbosa de *Offic. et Potest. Episcop.* alleg. 27, num. 44. Reiffenstuel loco cit. n. 9, et alii passim.

rit, quod bene observat Sbroz. de *Vicar. Episc.* lib. 2, quæst. 5, num. 10. a Benedicto XIV laudatus, de *Syn. dioc.* lib. 2, cap. 8, n. 2. (EDIT. BARBIELL.)

(2) Vide Benedictum XIV. de *Syn. Dioc.* lib. 13, cap. 15, n. 2. (EDIT. BARB.)